

97

IN CHRONICA PISANA

P R A E F A T I O

LUDOVICI ANTONII

M U R A T O R I I.

NOrunt Eruditi, quam multa sint, quae nobis Etruscam Civitatem Pisanarum commendent, natalium vetustas, amplitudo, ac potentia; & quamquam temporibus nostris non eum teneat splendoris ac fortunae locum, quem olim tenuit, rerum vicissitudini, non secus ac aliae splendidissimae Urbes, cedere coacta, nihilominus inter praeclaras celebresque Italiae Civitates adhuc numeratur. Ejus res gestas breviter post Annum Christi Millesimum, adnotatas a nonnullis antiquis Scriptoribus habebamus, iisque Respublica Literaria jam fruebatur beneficio Clariss. Viri Ferdinandi Ughellii, qui omnia concessit, ediditque Tom. III. Ital. Sacr. pag. 852. Edit. Rom. Eadem ut rursus aeneis typis traderentur, exposcebat institutum meum. Sed quid ego hac in re praestiterim, antea monendus est Lector. Habebamus Ughellii cura primo *Gesta triumphalia per Pisanos* ab Anno 1099. ad 1120. Auctore Anonymo. Secundo *Chronicon Pisanum* ab altero Anonymo itidem conscriptum, in quo referuntur gesta Pisanorum ab Anno 688. (apud Ughellium corrupte in titulo legebatur *MCLXXXVIII.*) usque ad Annum 1136. Tertio *Annales Pisanorum* ab Anno 971. ad 1178. pariter ab Anonymo Scriptoris literis consignatos. Post haec, videlicet quarto loco, edidit alterum *Chronicon breve Pisanum* ab Anno 1004. ad Annum 1188. ab incerto Auctore concinnatum. Et haec in titulo apud Ughellium habebatur *MCLXXVIII.* non sine legentium fastidio, qui tam incuriose ab eodem intuentur exhibita nobis veterum monumenta. Quinto *Chronicon alterum breve Pisanum*, cujus Auctorem itidem ignoramus, ab Anno 1101. usque ad Annum 1268. Sexto Pisanae Historiae chorum tandem clauderebat ab Ughellio evulgatum *Carmen Laurentii Veronensis*, in libros septem divisum, ubi Majoricae Insulae expugnatio, aliaque Pisanorum gesta referuntur. Fuit hic Historicus simul & Poeta, Diaconus Petri II. Archiepiscopi Pisani: floruitque iis ipsis temporibus; quibus ea peracta fuere. Sed haec etiam aut Italiae Sacrae Typographos, aut ipsum Ughellium supinae negligentiae arguendos habeo. Scribit ille in Poematis hujus titulo, debellatam fuisse Majoricam a Pisanis Anno *MCIV.* quae tamen expeditio sine controversia, vel ipso Ughellio teste in Catalogo Archiepiscoporum Pisanorum, Anno *MCCIV.* & *MCCV.* suscepta & consummata est. Ughellius idem in Archiepisc. Pisan. pag. 428. & sequentibus non uno in loco *Boreales Insulas* a Pisanis expugnatas, ac Pisanae Reipublicae a Gelasio II. P. M. concessas scribit. *Balears Insulas* scribendum illi fuit, ne his verbis Mediterranei Maris Insulas in Baticum miranda metamorphosi transferret. Adde, ne certo quidem resciri posse, an Laurentius ille (Poeta profecto pro aevi sui conditione magni faciendus) *Veronensis* fuerit, ut titulus praefert. Siquidem ille idem in supra memorata pag. 428. appellatur *Laurentius*, non *Veronensis*, sed quidem *Vernensis*, suspicione mihi non levi injecta, eum in aliquo Tusciae oppido aut pago, cui *Vernae*, seu *Verniae*, sive etiam *Vurni* nomen foret, natum potius fuisse, quam in Veronensi Urbe. Sed quis tam facile possit Italiam Sacram Ughellii ab innumeris id genus, immo gravioribus maculis purgare? Si ominari licet, veniet aliquando, qui denuo integrum illud Opus ad incudem revocabit, & ingenti beneficio Italiam universam sibi obstringet.

Quam ego medelam adhibere potuerim Pisanis hisce Chronicis, non uno in loco apud Ughellium deformatis, nunc Lector accipiat. Pisanae Historiae antigraphum significatum mihi fuit adservari a Nobili Viro Octavio Angelo de Abramo Primatialis Pisanae Ecclesiae Canonico, ejus cura descriptum ex pervetusto Codice MSto *Michaëlis de Vico* Pisani Canonici, qui circiter Annum 1370. ac serius floruit, uti ex calce ipsius Chronici, & ex monumentis Pisani Canonice Collegii constat. Ut hocce exemplar mihi impetrarem, operam dedi; neque multis opus fuit: humanitate enim non vulgari praeditus ille continuo ad me misit. Monuit autem, MStum Codicem, unde Chronicon haustum fuerat, latere in Archivo secreto